PETRO BROTTO

NUNC PRIMUM SACRA SOLEMNITER LITANTI

HOC CARMEN

LUDOVICI CAN. SIMONETTI

IN SEMINARIO PATAVINO

CELEBERRIMI ACADEMIÆ PROFESSORIS

ACADEMICI CONDISCIPULI

GRATULANTES

D. D. D.

Carmen, quod sequitur sub dialogi forma, concludit Academiam in Seminario Patavino anno 1862 publice habitam, cui titulus: HEROES VENETI.

DIALOGUS

INTER

DUOS JUVENES RERUM VENETARUM STUDIOSOS

A. Audisti?
B. Audivi.
A. Tu, cui tam viva cupido,
Tantus amor laudes venetorum ediscere, ab istis
Vel solis, nostri quos nunc cecinere sodales,
Edidicisse potes, quales uberrima cives
Urbs tulerit veneti princeps atque arbitra regni,
Quæ maris in gremio quasi prodigialiter ipsis
E manibus Genii nata est, certissima, in illo
Italiæ excidio, melioris nuncia sortis.
Sic cælo visum est, ut declinante Latini
Fortuna imperii non deforet altera sedes
Gloriam ad italicam conservatura vetusti
Depositum ingenii, et decora immortalia patrum
Nostrorum. Hæc siquidem fatis ingentibus hæres

Successit veteris Latii, paribusque priorem
Dotibus expressit Romam, ceu filia matrem.
Sunt alii plerique tamen, qui jura reclamant
Propria laudatis nulla ratione minores.

B. Ergo age, quid cessas? reliquorum perge virorum
Perge loqui egregias laudes et splendida facta.

A. Infinita foret series, si cuncta sequemur
Facta virûm; atque dies hæc jam nos ante relinquet,
Quam, nedum laudes, vel nomina sola loquamur.

B. Omnia, si nequeas mihi dicere gesta, nec omnes
Præcipuas dotes, dic, quæ tibi cumque lubebit
Dummodo jam dicas.

A. Tua, sodes, cura jubere
Quid magis exoptes: mihi dulce facessere jussa;
Dicere sed quoniam donas, quodcumque libebit,
Ordiar a Zeno, titulus cui gloria solus,
Scilicet a Zeno, Caroli qui nomine gaudet.
Magna viri virtus nobis et magnanimum cor
Imprimis placuit semper, semperque placebit.
Urbs Constantini mirata est prima superbæ
Nobilitatem animæ et plusquam regalia sensa.
Ejectus solio et tenebrosa clausus in arce
Dura Calojanus vitam inter vincla trahebat
Pejorem letho. Vinclis oppresserat ipse
Filius Andronicus venerandum ætate parentem
Non procul interea fundaverat ancora classem,
Zenus ubi impubis tractabat prima severæ
Munera militiæ, regi tam tristia passo

Junctus amicitia. Casum infelicis amici
Doctus epistolio, quod furtim miserat olli
Custodis conjux imploratura levamen,
Evolat auxilio Carolus nil tale merentis.
Venit ubi ad turrim, et pactos sibi vidit ab alto
Demitti funes, per quos ascenderet arcem,
Corripuitque manu chordas, velutique patentis
Scalai gradibus, rapido fastigia saltu
Sublimis superat tecti, potiturque fenestra,
Unica quæ clausis restabat janua muris.
Commotus visu princeps captivus amici,
Vincula conquassat, longoque trementia ab ævo
Erigit ex humili, quo stabat, membra sedili,
Et genva ægra trahens venienti lætus obortis
Occurrit lacrymis. Custos fidissima euntis
Sustentans dextram læva, et dextræ indice monstrans
Perfidiæ ultorem, cubito vestigia firmat
Sollicitatque pedes. Pius inter talia Zenus
E media tendens palmas utrasque fenestra,
In qua constiterat, dictis et nutibus illum
Hortari, facilemque viam ostentare salutis:
Atque suos humeros proponens, ipse viarum
Se spondere ducem, fortunatumque vocare,
Si possit collo tam carum imponere pondus,
Elusisque alio salvum transferre tyrannis.
Gaudet posse senex sceleratum evadere limen
Carnificisque manum, toto et cum corpore pugnat
Maturare fugam. Posito jam compede liber

E claustris abiturus erat, cum cara recursans
Improviso animam perstringit imago suorum
Natorum, gremio miseræ quos matris ademptos
Multa reclamantis nequicquam, et multa gementis
Impius Andronicus diverso in carcere eadem,
Qua patrem, atque uno momento clauserat arce.
Parva videbantur nati protendere multis
Brachia cum lacrymis, patremque orare querelis
Supplicibus, per si quid adhuc natura valeret,
Ne se fraternæ fugiendo exponeret iræ.
Tam teneri genitor turbatus imagine visus
In medio suspendit iter, propriamque recusat
Mercari tanto vitam, retroque repente
Territus avertens, iterum sua vincla reposcit.
Heu! quid agat Carolus votis delusus in ipso
Successu? Timet ille, senem si quando relinquat,
Ne pereat tam dulce caput; timet ille vicissim,
Ne, si forte locis temere cunctetur in illis
Ulterius justo, puncto male cautus eodem
Se secumque simul dilectum prodat amicum.
Inter utrumque diu nunc huc, nunc fluctuat illuc,
Mille artes dubio, mille argumenta movendi
Exagitans animo; gemit, æstuat, ardet et urget
Nunc blandis blandus, nunc aspris vocibus asper
Usque recusantem regem, et premit anxius ulnis,
Et stringit gremio, et totum lavat ubere fletu;
Omnibus ingeniis oppugnat et omnibus armis,
Quot sibi dictat amor; sed ubi se perdere frustra

Vota, preces, lacrymas sensit, tentamina cuncta,
Luctantem contra, et mæstis sine fine querelis
Dulcia natorum repetentem nomina patrem
Tandem deseruit, rursusque relapsus eodem
Calle rates repetit, seque in sua castra reponit,
Ex illa ostendens stupefactis civibus hora,
Quantus erat patria pro libertate futurus,
Consilio crescente simul crescentibus annis.

B. Magna quidem spondere sibi jam patria tali
Debuit a nato hæc annis juvenilibus auso.
Nunc age, da, si quid maturior egerit ævo,
Ut melius discam tantum cognoscere civem.

A. Stabat in Adriacis Zenus cum classe lacunis
Prælia moturus Liguri, qui Brunduli in arce
Adversus Venetos se se circum undique structis
Munierat vallis; subita quum turbo procella
Improvisus aquas miscet, Carolique carinam
Navibus abstractam reliquis rotat æquore, donec
Victor in adversos rapido trahit impete muros.
Insidias metuens captis Ligur irruit armis,
Subjectamque ratem de tota fulminat arce.
Nox erat: unda fremit, ventus furit, intonat æther,
Horrisonique crepans crebra inter fulgura cæli
Mixta ruit gelida cum grandine ferrea grando.
Tale nihil veriti, momento et temporis uno
Impliciti tanto duplicis certamine belli
Despondere animos et desperare salutem
Infracti nautæ. Bella inter talia solus

Aspectu Carolus vicina in morte sereno
Imperturbatus spectat commune periclum.
Quæque potest miseris properans medicamina rebus
Porgere, nunc facilis, nunc asper corda suorum
Exstimulat: qua pensa parat, qua jussa ministrat,
Dispensatque vices operum, justisque labores
Partibus exæquans, operosa providus arte
Cuncta regit, Ligurum simul invictissimus iras
Contemnens, pelagique minas cælique ruinas.
Talia dum peragit necopinum gutture vulnus
Accipit in medio. Quantumvis vulnere læsus,
Ille nihil minuens animi, nihil ille laboris
Adversus pariter nimbos luctatur et arma
Intrepidus. Tandem graviora pericula victor
Evasurus erat; jaculo quum rursus acuto
Percussus graviter labat, effugiumque sub ipsum
Volvitur in præceps, mediaque in puppe supinus
Palpitat adsimilis morienti. Vivida pallet
Jam facies, jam labra silent sine voce, sine ullo
Lumine caligant oculi, totoque videri
Corpore jam poterat fugitiva recedere vita.
Sensit ubi sed enim deluso ex hoste receptam
In tutum tandem se collegisse carinam,
Corde trahens ægre longum suspirium, ab alto
Ceu somno excussit sibi se, paullumque revixit.
Ilicet accurrit medicus, pariterque sacerdos,
Accurrunt primique ducum, primique senatus,
Orantes redeatque domum, foveatque salutem.

Ille sacerdotem dextra, medicumque sinistra
Amplexans, circumque ferens moritura per omnes
Lumina, sed, moritura licet, spirantia sensus
Magnanimos, qua voce potest, « proh dedecus! inquit,
Me desertorem patriæ? me, mene relicta
Classe domum rediisse, domo dum quisque relicta
Objectat ventis animam atque hostilibus iris
Res defensurus libertatemque suorum?
Non ita, non. Zenis est semper pulcrius inter
Armorum comites, navis super assere, lucem
Projecisse ulta patria, quam patria inulta
Vivere degenerem strata inter mollia vitam. »
Audiit heroi verba invictissima nati
Adriaci Regina maris, manibusque labantem
Læta recomposuit regali in fronte coronam
B. Magna quidem sunt hæc animosaque facta; sed illa
Illa mihi arrident venetæ super omnia gentis
Exempla, antiquis certant quæcumque latini
Exemplis populi, ceu lethum nobile Crassi.
Si quis adest Crassus nobis, edissere, quæso.
A. Dandolus, Andreas titulo, fovet unus et idem
Sublimes Crassi sensus animamque Catonis.
Talibus at quoniam natura irascitur ausis,
Te volo præmonitum, quod ego hæc tua vota secundans
Andreæ historiam refero, non prædico factum.
Post varios nisus, post multa pericula tandem
Inter pugnandum captus, victrice per altum
Classe trahebatur ligurinæ ad littora terræ.

Jam prope portus erat Genuæ, lætique secundo
Vela salutabant plausu redeuntia cives.
Dandolus ut primum sacras resonare per arces
Æra triumphalis reditum celebrantia classis
Audivit, dominæque excelsa e puppe carinæ
Prospectum petiit, vastæque ex omnibus urbis
Eructata locis popularia circumspexit
Agmina turmatim vicinum invadere littus
Inspectura novam prædam illusuraque captis,
« Andrea, exclamat, cernis tibi qualia pompæ,
Quam tibi festa parent rari spectacla triumphi?
Te Genua aspiciet manibus post terga revinctis
Urbe trahi media, tamquam devota macello
Armenta, audacis factum miserabile plebis
Ludibrium? Heu! civem ferus irridebit honestum
Latro maris? Veneto Ligur insultabit honori,
Incolumi Marco, et semper victore Leone?
Ah! prohibe, prohibe, donec sinit utile tempus,
Ingenua prohibe tantum tibi fronte pudorem.
Sin captiva manus digno te denegat auso
Officium, facili patet altera janua morti.
Non, non in manibus, sed in alto pectore nobis
Libertas patria pro majestate paratis
Contemplari oculo sicco quodcumque periclum
Qualemcumque necem. Potuit jam velle subactus
Ante mori liber Crassus, quam vivere servus
Victoris; potuit funus memorabile turpi
Jam veniæ præferre Cato. Tu clarus avorum

Tantorum titulis, tu natus sanguine divûm,
Tu ducis Henrici successor et æmulus hæres,
Tot decora abjurans, tot nomina sancta tuorum,
Anteferas letho generoso infame superbi
Servitium domini? Venetum quis nomen honoret
Præterea, aut nostro submittat colla Leoni? »
Explicuit vultu dicta inter talia lucem
Majorem solito, quassansque immane catenas
Protinus antennis, quibus hæserat ille ligatus,
Illisitque caput, magnamque animam exhalavit,
Hostibus ostendens, in campo qualia liber
Pugnando possit Venetus, cum talia in ipsis
Victorum manibus, vinclis circumdatus, audet.
B. Hæc, hæc perge loqui, dulcissime, scilicet illa
A nostris renovata viris ingentia facta,
Quæ quondam stupuit meliori tempore Roma
Terrarum domitrix. Sed ubi inter nomina gentis
Adriacæ, quotcumque tuo didici hactenus ore,
In Venetis fastis, ubi Vejæ eversor, ubi exsul
Qui probrum exsilii, qui pœnam oblitus iniquam
A patria acceptam, patriæ impendente ruina,
Surgit, et ingratæ dextram protendit amicam?
A. Ne dubita, ipsa suo sibi plaudit nostra Camillo
Patria. Victoris Pisani nobile nomen
Quæ plaga, quæ regio est tam nostro impervia cælo,
Quæ non audierit? Quæ non cumulaverit altum
Laudibus ingenium? Jamdudum crimine falso
Obrutus indigno languebat carcere Victor.

Ebrius interea belli successibus Urbem
Fortius urgebat Ligur, extremumque parabat
Civibus exitium. Instantis terrore pericli
Filia pulchra maris, venetæ Regina lacunæ
Consternata jacet. Matres per templa frequentes
Circumvallantes sanctas amplexibus aras
Suppliciter, cælum precibus sine fine fatigant.
Demisso vultu, et male certis passibus errant
Huc taciti atque illuc cives. Spectare putares
Non homines, sed spectra hominum et simulamina mortis.
Ipsa etiam, posito augustæ gravitatis honore,
Ipsa suo trepidans cum principe curia mussat
Inconsulta diu, atque alterno fluctuat æstu,
Nescia quid faciat, quidve amplectatur in illo
Tam desperato miserarum vortice rerum.
Sed postquam longas consultavere per horas,
Hæc patribus tandem potior sententia visa est,
Attentare novam nova per certamina sortem.
Hoc simul, et simul in toto vox una senatu,
« Arma, arma, o cives; solis spes unica in armis;
Arma, arma » ingeminat. Negat arma capescere civis,
Ni secum captis Victor quoque militet armis;
Victoremque vocat, subitaque tumultuat ira.
Quid faciant Patres? Ligur hinc magis usque lacunas
Obsidione premit, magis usque renascitur illinc
Ardor anhelantis semper nova turbida vulgi;
Atque fames, belli comes indivisa, luesque
Funera funeribus cumulans extrema minantur.

Quid faciant Patres? De tot tantisque sequuntur
Inferiora malis, populique odiosa secundant
Vota rebellantis. Mandat, mora nulla, Senatus
Primi adeant proprio Victorem in carcere patres
Orantes veniam, libertatemque ferentes
Cum maris imperio. Vultu mandata sereno
Accipit extemplo Victor generosus, et « arma,
Arma » vocans, veluti præsentem provocat hostem.
Sic ille ingratis acceptam civibus ultro
Offensam ignoscit, justasque oblitterat iras,
Se major tanto, quanto est se vincere major
Gloria, quam mille in pelago submergere puppes,
Mille triumphando in campo expugnare phalangas.

B. O virtus veteris virtutibus æmula Romæ,
O factum patrii cunctis imitabile amoris!
O terra ante alias fortunatissima terras,
Quæ tales cives, quæ tantos jactat alumnos!

A. Fama ubi tam lætum vulgavit nuncia casum,
Exsultant cives; totisque e sedibus urbis
Irruere impatiens, facto et velut agmine in omnem
Præcipitata viam, quacumque ruentibus ullo
Panditur ulla loco, Marcique ingressa plateam,
Fluminis exemplo se devolventis in æquor,
Per mille accessus, per mille foramina passim
Unda fremens populi sedes penetrare Ducales
Applausura Patri: pueri, mollesque puellæ
Atque viri atque nurus atque ægre tarda trahentes
Genva senes, gremioque amplexæ pignora matres:

Immensum et velut agmen apum, pars magna fenestras,
Atria pars, pars xysta tenet, pars culmina scandit,
Atque alias alii certatim invadere sedes
Præcipitant: quovis micat ore arrecta cupido.
Ædibus egressus toto stipante senatu
Ipse Giganteæ Princeps fastigia scalæ
Occupat interea, patefactaque brachia tendit
Amplexu cupiens venientem stringere amicum.
Dum sic quisque animis suspensis arduus hæret,
Cernere suspirans tanto post tempore civem
Magnanimum, votisque moras ardentibus urget;
« En pater, ecce pater » totus communiter altis
Vocibus inclamat cœtus popularis eodem
Tempore, ab electri subito velut excitus igne,
« En pater, ecce pater » varioque remurmurat æstu
Pascere honorato cupidus sua lumina vultu.
Atque pede insistens summo, incumbensque vicissim
Alter in alterius dorsum, cum corpore toto
Defixis oculis, arrectis frontibus, omnis
Unius obtutu Victoris pendet ab uno
Immotus civis. Solo in Victore moratur
Omnis hians populus. Sed ubi acclamantia multo
Agmina conatu rumpens, sibi denique callem
Ad scalam fecit, sceptrum accepturus ab ipso
Principe supremum pelagi, primisque potitus
Jam gradibus patuit manifesta in luce suorum
Spectatorum oculis exoptatissimus heros,
Libera lætitiæ tunc omnia frena remittens

Illa exultantis populi infinita caterva
« Vivat io Victor » toto sonat alta theatro;
« Vivat io » aura fremens circum respondet et unda,
Unda triumphantes assueta reducere cives,
« Vivat io Victor ». Sed Victor fronte serena
Plausibus in mediis volvens tranquilla per omnes
Ora salutantes, digito ostendente Leonem,
« Non, non Victori, sed Marco plaudite, cives,
Plaudite io Marco » repetit. Nec plura moratus
Continuo ferrum dextra, signumque sinistra
Corripiens, inimica petit novus arma Camillus,
Majorem antiquis acturus ab hoste triumphum

B. Vivite felices animæ, invictissima bello
Pectora, perpetuo mansuris vivite fastis,
Nomen ubi vestrum ipsa manu jam gloria scripsit!

A. Vivite, sed plusquam in fastis, o vivite nostris
Scripta animis, venetæ capita immortalia gentis,
Omnigeni decoris viva exemplaria, seclis
Egregiæ ad stimulum laudis transmissa futuris:
Unde sibi certus normas ediscat amandæ,
Qua deceat, patriæ, patriam devotus honesto
Quisquis amat studio, quisquis sincerus honorat
Sincero patriam obsequio. Præponere semper
Publica privatis et religiosa profanis,
Propugnare focos, tutari altaria sancta
Longe amandando quemcumque e finibus hostem
E quocumque loco minitantem lædere nostra
Aut jura, aut studia, aut mores, aut denique quidquid

Grande magis, magis augustum et venerabile nobis
Educat hæc itali tellus lætissima cæli
Semper honestarum genetrix uberrima rerum,
Nostrorum hæc prior, hæc fuit unica gloria patrum;
Hæc vos, o pueri, decet, hæc decet unica cunctos,
Quicumque italici se jactet nomine civis,
Maternæ si tangat amor, si gratia terræ.

PATAVII TYPIS SEMINARII MDCCCLXV.
A. Guadagnini cur.